

SECTIO II.

Exegesi & quæstiones circa materiam ipsam occurrentes exhibens.

C. I. de subjecto, cui scrutinium commendatur.

§. I.

PRænotavimus in Exordio, quòd juxta rationem factæ dispositionis, ea quæ in textibus nostris occurrunt, tractaturi sumus. *Primo* igitur loco spectanda sunt *subjecta*, ad quæ dicta nostra diriguntur. In dicto *Johanneo subjectum* constituunt *Judæi*, qui expresse nominantur in antecedentibus v. 1. 10, 15, 16, 18. atque sic in nostro versu, ubi orationem suam adhortatoriam ad eos dirigit Christus, verbo *ἑβραίων* includuntur. Quare, ut eò melius adhortationis Christi necessitas pateat, huc pertinentia aliquantum latius deducere juvabit.

§. 2. Peculiari illo privilegio gaudebant Israelitæ, ut Christus illis Evangelium in propria persona annunciaret, sicut testari possunt *Matth. IV, 21. seq. cap. IX, 35*, quo sensu ipse Salvator ad mulierem Cananæam opem suam implorantem, *se non esse missum*, dicebat, *nisi ad oves perditas domus Israel* cap. XV, 24, imò & tum temporis discipulis suis ad prædicandum emissis prohibebat *abire in vias gentium*, cap. X, 5. Neque mirum, si consideres nationis Judaicæ præ reliquis privilegia, descripta Rom. IX, 5, cujus historiam libris V. Tri Canonice inferere DEO placuit. Antiquitatem ejus veramque originem demonstrandam pariter ac defendendam sibi sumsit Historiographus domesticissimus *Josiphus libris 2. contra Apionem Grammaticum*, in quibus probationes ex Scriptoribus Phænicum, Chaldaeorum, Ægyptiorum, quin & Græcorum desumit: ac calumniatores Judæorum *Manethonem, Cherimonem, Lysymachum & Apionem* refutat, adjunctis rebus gestis Judæorum ab initio mundi ad sua usque tempora, *libr. XX. Antiq. & libr. VII. de Bello Judaico.*

§. 2. Verum quanto major erat DEI atque Messiaæ erga genus Judæorum benignitas, tanto major quoque illius apparuit ma-
litas,